

I N D E X.

711

cē uero Terauana nūcupatur. In prouincia Rhemen-
si, & regno Francorum sita.

MENAPII populi Galliae inter Belgas, Treueris, Condruſis, Arduennae ſyluae, Rhenoq; finitimi, denſiſſimas ſyluas, perpetuasq; paludes, ad utranq; Rheni ripā agros, & aedificia uicosq; habebant: proximi Vbijs, Eburonib. & Sicambriſ (qui hodie Ghelrenſes ſunt) hi ſcilicet Sicambri, & ad confluentē Moſae Rheniq; oceanum etiam mare attingunt: nunc Iuliacenſis ducatus eſt, Coloniēſis diceceſis. Anguſtior ſatis, ut uide-
tur, ac ſubductior, quā pridem Menapiorum fines eſſent.

MELEDVNVM inter Celtas oppidum, in inſula fluminis Sequanae poſitum, Agendici oppido Senonibusq; proximum, ac Lutetiae (quae hodie ciuitas Pariſienſis eſt) & Iofedo ad ripas Sequanae poſito finitimum: olim ciuitas episcopalis erat, nunc etiam oppidum eſt in Francorum regno, nomen retinet, gallicē Melun.

MOSA flumen, profluit ex monte Vogefo, qui eſt in finibus Lingonum, in Francorum regno, nō longē ab ortu Matronae, & Araris fluuiorum, & parte quadam circa Nouiomagium, ducatus Ghelriae oppidū, longē ab oceano ferē 80. millia paſſuum, ex Rheno recepta, quae appellatur Vallis, inſulamq; efficit Batauorum (qui hodie Holan-
dini dicuntur) oceanum inſluit, ſicq; in Celtis oriens immergitur Belgis.

Y 5 ME